

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagrata <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Professio regvlaris

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

PROFESSIO REGV-
LARIS.

421. Professio Regularis quid sit?
422. Professionis Tempus. 423. Requisita.
424. Solennitas. 425. Effectus Ge-
nerales. 426. Speciales. 427. Re-
clamatio.

421. **P**rofessio Regularis est contractus
ultrò citròque obligatorius, quo
Profitemens fidem suam adstringit Deo, & ob-
ligatur Religioni, & Religio ipsa Dei nò-
mine obligatur Religioso ad retinendum
eum, & alendum, & tractandum secundum
Religionis institutum. Sanch. de Matr. l. 7.
disp. 25. n. 12. post Nauar. l. 3. Conf. de Regul.
conf. 5. Memoratu digna sunt, quæ de mu-
tua horum vtrinque obligatione scribit D.
Seraph. in determ. qq. circa Regul. q. 14. No-
ta, inquit, cum aliquis ingressum petit istius
Ordinis, si recipitur, fit ei magna gratia & mul-
tiplex, & de naufragio peccati eripitur, & so-
ciatur illorum collegio, qui ambulant in via Dei
tali conditione, ut & ipse gradiatur in eadem
via cum eis seruando illa, propter quæ Ordo est
institutus. Quamdiu ergo sic graditur, postquam
ad Professionem receptus est, non potest eum Or-
do abijcere, quia sicut ipse iam ligatus est Ordi-
ni, ita & è conuerso, ut neutrum liceat alterum

CCCC-
XXI.
Professio
quid sit?

R r

relin-

linquere villo modo. Si autem frater aliter vinit, quam licet in Ordine, & sepius correctus, se nõ sufficienter correxerit, si excessus occultus sit, tolleretur, & cum cautela propter scandalum, ne si abiceretur, cum eius culpa non pateat, videretur iniuste punitus, aut peccatum iniuste propalaretur, quod virumque illicitè videtur. Si verò excessus eius graues fuerint & notorij, quòd alij eius exemplo possint infici si retineatur in Ordine, & extranei scandalizentur, quòd talis in Ordine sustineretur, tum propter auferendum scandalum, tum propter corruptionem Ordinis præcauendam, debet eijci prauaricator voti & pacti sui. Quia iam Ordo non tenetur ei de promisso tenendi eum secum, qui promissum suum prauaricando pluries violauit, cum ideo sit vocatus Ordo, quòd in se nihil inordinatum patiatur. Quod si Deo permittente talis seipsum eijceret, gratia sunt Deo referenda; non quia ille peccauit, sed quòd oves suas à pestifera contagione liberauit. Vinam abscondantur, qui vos conturbant! Gal. 5. scilicet vestram puritatem, pacem & sanam. Si autem allegatur, quod misero est miseratio adhibenda, vt iterum recipiatur in Ordinem. Dicitur potest: Crudelis est miseratio, vnde plures & meliores grauitè offenduntur: sicut qui furem liberaret, vnde pauperes spoliarentur, maximè cum tales longo vsu reperfacti, rarissimè verè, & perseueranter emendantur,

dantur, & facilis remissio alijs audaciam praebeat delinquendi, &c. Verum quoad eijciendos ab Ordine seruanda nunc est Dispositio S. Congreg. Concilij, de Regularibus, Apostatis, & electis. Approbante Urbano 8. die 21. Sept. 1624. De his qui negligenter suo non curant satisfacere officio, videndus Peyt. de Pral. q. 1. c. 5. n. 43. vbi doctrinam sequens Valent. Si quis, inquit, ex contemptu beneficij eleemosynarum abstinere ab actibus religiosis, peccat mortaliter. Similiter si nunquam ferè recordatur Benefactorum, & notabiliter est negligens in obseruantijs religiosis, ita vt nullã aut vix aliquam cures. Pensate, ait S. Greg. hom. 17. in Euang. fratres, quanta damnationis sit sine labore percipere mercedem laboris, quanti criminis peccatorum pretia accipere, & nihil contra peccatum predicando dicere. In illos qui beneficia Religionis floccipendant, atque minora suis meritis recipere sibi persuadent, peroptimè quadrat, quod S. Petrus Chrysologus contra fratrem Prodigij Euangelici seniore delectat, serm. 4. ibi ait ille respondens dixit Patri suo; Pater ecce tot annis seruo tibi. Sic, inquit, sapit, qui Patris aude iudicare pietatem. Ecce tot annis seruo tibi. En Patri filius nascendi beneficia, quã seruitute compensat. Nunquam mandatum tuum praterini. Hos tibi non tua Innocentia, sed Pa-

Rr 2

tris

tris venia dedit, quâ multâ charitate delicta filij
maluit tegere, quàm nudare. Et nunquam de-
disti mihi hœdum, &c. Hœdum sibi datum ne-
gat, qui substantia partem totam tempore diui-
sionis accepit. Tunc enim cùm frater junior da-
ri sibi substantia peteret portionem, Pater am-
bobus totum fratribus mox diuisit: Euangelista
dicente: Et diuisit illis substantiam, Sed in-
uidus simulat semper, mentitur inuidus sem-
per, &c.

CCCC-
XXII.

Professio-
nis Tem-
poralis.

422. Finito tempore Nouitiatus, iubet

S. Trident. Synodus *sess. 25. c. 16. de Regul.*
cui & Regula nostra Minorit. consonat c. 2.
vt Superiores, Nouitios ad profitendum
admittant, quos habiles inuenerint, aut è
Monasterio eijciant. Quod si Nouitius ha-
bilis non sit, vt quia nondum expleuit tem-
pus sedecim annorum, vel si non bene di-
dicerit quæ necessariò discenda sunt, vt
sunt Observationes Regulæ, saltem secun-
dùm substantiam & significationem gene-
ralem ac simplicem verborum cuiuscunque
voti aut præcepti in Regula contenti, &c.
vel sufficienter non satisfecerit in proba-
tione, vel si quid obstiterit ad rectam suo-
rum bonorum dispositionem, aut aliud si-
mile intercesserit, spes tamen probabilis sit
euasurum habilem, potest prolongari pro-
fessio, etiam ad sex menses, iuxta declarat.
S. Congr,

S. Congr. 1569. 8. Nou. apud Barbos. in Decis. Apost. Collect. 612. V. Professio Regularis. n. 6. Sin autem spes ea non sit (qualis vt plurimum haberi nequit de Nouitijs callidis, inobedientibus, pertinacibus, vel alijs huiusmodi vitijs irretitis) absq̄de mora eijcendi sunt. P. Vecch. de Nouit. disp. 11. dub. 5.

423. Vt valida sit Professio Regularis, duodecim communiter requiruntur conditiones.

CCCC

XXIII.

Requisita

Conditio 1. est, ætas 16. annorum exactè completa. S. Congreg. 1627. 5. Iun. declarauit nullam esse professionem, si sit emissa in anno Bissextili non expectato lapsu illius diei, quatum de nouo additur. Et 1617. 21. Ian. emissam non completo anni curriculo etiam per duas horas tantum non valere. Et aliàs: Professionem emittentem infra annum Probationis, nec in genere, nec in specie obligatum esse ad Religionem, vel vllam, etiam in foro conscientia, obligationem inductam esse. Barbos. cit. n. 5. 7. & 8.

Validam autem esse Professionem post 16. annum factam, sed ante 18. vel 20. requisitū à statuto Ordinis Minimor. vel SS. Trinit. non annullante aut irritante factam, refert ibid. n. 9. & 10. decisum An. 1582. 2. Nou. & 1631. 2. Aug. Ex quo etiam patet Iudicium de nostris Constitutionibus, vt ad Clericorum statum recipiendus commu-

Rr 3

niter

niter decimum septimum annum excedat. In Laicorum verò numerum referendus, ordinariè non Minor nouendecim annis expletis natu sit. Nouitios tamen in articulo mortis existentes posse validè profiteri ante annum probationis expletum, dummodò in ætate legitima constituti sint, sicquæ lucrari Indulgentias & gratias alijs Professis concessas, ex Priuil. Pij 5. docet Lezan. 10. 1. c. 24. n. 42. & c. 25. n. 39. Itemq; 10. 4. V. Professio. n. 12. Et Aluifet de Priu. Regul. sec. 3. c. 19. ex concessione Pij 5. factâ Dominicanis, vt Moniales infirma, de quarum salute desperat Medicus, possint Professionem facere, etiam si fortè necdum nouitiatum absoluerint. Bullâ: Summi Sacerdotij. An autem aliquis sic professus indigeat nova professione casu quo conualescat? Affirmat Garc. quem sequitur Gauant. in Ench. Episc. V. Monialis Profess. vbi refert ita decisum, oppositum defendit Aluifet l. c. n. 19.

Conditio 2. Annus probationis integer & continuus. Vide V. Nouitius. 318.

Condit. 3. Animus profitendi & obligandi se Deo & Religioni. Quare deficiente hac intentione, saltem tacitâ, Professio talis est nulla, quamuis ratione actûs exterioris, id est, Professionis emissâ, ne alios scan-

scandalizet, teneatur ad exteriorem Regulari obseruantia, eo quod Ecclesia, quæ sunt occulta, non iudicet P. Vecch. *disp. 13. dub. 1. n. 13.*

Condit. 4. Quòd liberè sit emissa, non autem vi aut metu, nisi iusto, extorta. Quis metus, aut etiam dolus vel error Professionem reddat inualidam, in facti contingentia, consulatur P. Vecch. *cit. dub. 12. & 13.*

Condit. 5. Quòd facta sit in manu Prælati, aut de ipsius licentia in manu alterius. Siquidem, vt dictum, Professio sit contractus reciprocus necessariò requirens consensum vtriusque partis, tam Prælati & Monasterij recipientis, quàm ipsius profitentis. *c. Porrectum. de Regul.* In Religionibus Minorum, totum ius admittendi Nouitios ad Professionem est primariò & originaliter apud Generalem; secundario, apud Prouinciales: Ex commissione autem seu consuetudine Guardianos etiam & Magistros Nouitiorum, etiam præsentem Prouinciale. Licet enim ipse Guardianus irreuerenter se gerat ergà suum Prælatum, adest tamè consensus tacitus eiusd. Prouincialis, dum tacet & nõ cõtradicit, cū possit & valeat contradicere. Si quis alius professionem Nouitij reciperet nomine Prouincialis vel alterius huiusmodi Superioris, sub spe

Rr 4

ratiha-

rati habitationis futuræ, talis Professio suo valore carebit, quousque præfatus Superior eam ratam habeat. Incipiet autem valere tunc à tempore, quo rata fuit habita à Superiore, Vecch. *disp. 12. dub. 1.*

Condit. 6. Quòd de consensu maioris partis Capituli. Ita nostræ Constitutiones c. 2. conformiter Iuri communi c. *Ad Apostolic. de Regul.* arctant facultatem hanc non solum Prouinciali, verùm etiam Generali (quamuis de hoc mentionem expressam non faciant) ne scilicet valeant recipere ad professionem Nouitium, nisi accedat consensus maioris partis familiæ, sine quo si Minister admitteret Nouitium ad professionem, peccaret grauiter, & professio eiusmodi nulla esset. P. Vecch. *cit.* & innunt Constit. *cit.* vicissim verò si Generalis aut Prouincialis præcipiat Conuentus Superiori, ne quemquã ipso inconsulto ad professionem admittat, adiecto decreto, quod professionem aliter factam irritet, talis non subsisteret, cùm potestas eiusmodi in Prouinciali, itemq; Generali principaliter consistat. P. Bassæ. *to. 1. V. Religio. 5. n. 3. cum Nau. Rodriq. Vecch. &c.* Ex quo postremo circa modum ferendi suffragia in receptione Nouitiorum ad professionem pro nostra Congregatione nota sequentia,

1. In receptione ad professionem debet primùm haberi collatio à fratribus congregatis, quoad mores & alias qualitates Nouitij: tum vota secretò ferenda sunt per fabas aut calculos, vel quid simile, quatenus vnusquisque libertate gaudeat concedendi aut negandi rectà conscientia suum votum. *dub. 6.* Constitutiones Ordinis *c. 2.* addunt, vt nullus ad professionem admittatur, nisi suffragia maioris partis fratrum habeat, qui cum illo per quatuor continuos menses aut circiter in eodem loco hæserint. Eaquæ propter dicto temporis spatio professioni propinquo, neminem Nouitiorum à loco, in quo Nouitiatum egit, amouendum; sin autem ex aliqua necessitate mutari oporteat, aut familiam ab eo loco dimoueri contingat, antequàm hæc mutatio fiat, suffragia sumenda. Item vota iuuenum in admittendis ad Professionem Nouitij nullius esse vigoris, nisi post quartū in Religione annum expletum, &c. Ordinationes Generales *A. 1656. §. De Nouitij.* volunt insuper ad minus septem FF. professos vitæ exemplaris in locis Nouitiatūs collocari; scrutinium, de quo *supra*, ter in anno fieri, cui semel saltem inter sit Prouincialis.

2. Cùm receptio ad professionem sit vnusquisque ex præcipuis negotijs, quæ in Religionibus

Rr 5

nibus

nibus expediuntur, tenetur Religiosus eâ diligentia vti, quæ huic negotio censetur necessaria, quatenus prudenter concedere aut negare possit suffragiû Nouitio. *dub. 3.*

3. Facilius tamen delinquitur in negatione, quàm in concessione suffragij, eò quod exclusio à Religione fieri nequeat tuta conscientia, nisi intercedat aliqua grauis causa, quamuis necessariò esse non debeat mortifera. Admissio verò licitè fieri potest, si Nouitius eâ saltem habilitate pollet, quâ obligationes Regulæ, disciplinamque regularem obseruare valeat, sitque aliquo modo Religioni utilis. *dub. 4.*

4. In dubio, frater idiota vel inexper- tus debet adhibere consilium viri docti & prudentis vel exercitati. *ibid.* Si dubium sit circa corporis valetudinem admittendus est vel expellendus iuxta prudentis & intelligentis Medici consilium. *dub. 8.*

5. Nemo potest licitè negare suffragiû Nouitio idoneo, quem ex sola Confessione nouit indignum. *dub. 4.*

Denique cùm admissio Nouitij ad professionem pendeat à voluntate fratrum, quæ est variabilis vsque ad diem & horam professionis, integrum est Superiori, accedente Conuentûs consensu, reuocare suffragia prius data, quousque Nouitius Pro-
fessionem

professionem emittat; dummodò aliqua gra-
 nis causa accedat, aliàs illicita erit reuoca-
 tio, cum quod semel placuit, amplius dis-
 plicere nõ debeat. *c. horrendus. 32. q. 2. dub. 7.*
 Condit. 7. Vt tria Vota Religionis es-
 sentialia, videlicet Obedientiæ, Paupertatis
 & Castitatis emittantur. *Lezan. 10. 1. c. 2.*
v. 1. vbi quatuor condiciones requirit ad
 substantiam & essentiã veri & proprii Re-
 ligiosi. 1. Profiteri Obedientiam, Pauper-
 tatem & Castitatem. *c. Cum ad Monaster.*
 2. Vt hæc tria voto firmentur. *D. Thom.*
2. q. 187. 3. Vt tale votum emittatur in
 Religione aliqua per Sedem Apostolicam
 approbata, Quòd si fiat in Religione repro-
 bata, habere vim simplicis voti tan-
 tum. 4. Vt promittens hæc vota consti-
 tuatur sub jurisdictione & potestate alteri-
 us. De his duabus conditionibus paulò post
 licetur amplius.

Nota, Votorum Regularium professio-
 nem fieri vel expressè vel tacitè. Tacita pro-
 fessio multis modis fieri poterat ante Conc.
 Trid. nunc autè, si quis per annũ integrum
 gestat habitũ Professorũ & nouitiorũ cõ-
 mune, susceptum auctoritate Superioris,
 cuius est ad Professionem & Religionem
 admittere, & expleuerit annum 16. sciens
 & volens, animo in Religione perpetuò
 manendi

manendi & vota seruandi, censendus est tacite professus. Quando autem habitus Nouitiorum & Professorum est distinctus, vt in nostra Religione, licet quis talem habitum portet etiam ad 20. annos, nunquam inducitur tacita Professio ex sola portatione habitus, nisi exerceat actum iure vel consuetudine tacite Professis tantum competentem, & in hoc proposito triduum perseueret: *l. Ad nostram. de Regul.* Si cum exercitio actus iungatur susceptio habitus Professorum, immediatè inducitur Professio tacita. P. Vecch. *disp. 13. dub. 8. n. 12.*

Ad expressam Professionem necessario requiritur aliqua forma exterior, sicut contingere solet in matrimonio & alijs huiusmodi contractibus humanis, qui licet exigant consensum interiorem, non tamen perficiuntur, nisi signa exteriora & sensibilia accedant ex parte vtriusque contrahentis. In ordine nostro vtrique tam proficenti, quam professionem recipienti certa prescribitur Verborum formula, quæ habetur in fine Constit. quæ licet ad validitatem Professionis non sit necessaria, cum ad eam sufficiat quoduis aliud signum exterius, consensum vtriusque exprimens, sine graui tamen causa pratermitti nullatenus debet. *Vecch. dub. 2.*

Condit

Condit. 8. Ut fiat in aliqua Religione à Sede Apostolicâ approbata. Ita statutum est ab Innoc. 3. in Conc. Lateran. Et saltem ab eo tempore in Ecclesia obseruatum est, traditurque in *c. fin. de Relig. dom.* Vbi textus: *Ne nimia, inquit, Religionum diuersitas grauem in Ecclesia confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam Religionem inueniat, sed quicumque ad Religionem conuertri voluerit, vnam de approbatis assumat. &c.* Confirmatum deinde fuit à Greg. 10. in Conc. Lugd. *c. 5. de Relig. Dom. in 6.* Et Ioann. 22. in *Extrau. Sancta Romana.* pœnâ excommunicationis appositâ. Vndè ipse Innocentius B. Dominico petenti Ordinis sui approbationem, respondit, vt Regulam aliquam approbatam eligeret.

Ordines approbatos, vnâ cum Authoribus, qui de singulis ex instituto scripsere, enumerat Barbos. *l. 1. Iur. Eccles. c. 41.* eorumque in tanta varietate consensum, atque commune Pietatis studium commendat *n. 204.* qui quamuis diuersitatem in institutis & habitu ostendant, ad vnum tamen & eundem finem, velut riuli ad alueum tendunt, eandem fidem Catholicam profitentur, & eundem Deum colunt, quamuis vnusquisque ambulet secundum proprium donum, quod habet à Deo iuxta Apost. *1.*

Cor.

Cor. 7. *alius quidem sic, alius verò sic: qui & cunctos hortatur, vt dignè ambulent vocatione, quà vocati sunt: Et quamuis diuisiones gratiarum esse affirmet, idem tamen Deus & idem est spiritus, qui diuidit singulis prout vult. Concilium autem Aquilgran. dicit ideirò habitus singulorum ordinum in Ecclesia ab inuicem esse discretos, vt liquidò cognoscatur cuius propositi sit gestans, vel in qua professione Domino militet. Verum si quis in contemptum aliorum novum habitum præsumptione assumeret in superbiam elatus, putans se solum iusticiã ex eo habiturum, damnatur à C6c. Gangr. relato in c. Si quis virorum. cum seq. 30. dist. Fusius singulorum ordinum origines, confirmationes, instituta, Priuilegia, &c. Idem Author Barbos. in vnum collegit in Collect. Apostolicar. Decis. 1. De Canonicis Regular. per tit. 15. 2. De Clericis Regul. tit. 11. 3. De Religiosis Mendicant. sub tit. fratrum 32. Demum, de Monachis, tit. 21. Ex quibus cum luce clarius constet primorum Patriarcharum Religionum Congregationes in plures exindè diuersas familias mutatâ viuendi ratione & habitu, &c. fuisse partitas, indignum planè est quod quidam Seraphicum Ordinem D. Patriarchæ S. Francisci sugillare audent, quod in tres Congregationes diuisus, sub*

triplici

triplici regatur Capite seu Generali PP. de Observantia, Conventualium & Capucinatorum, quem idcirco laudandum potius ob fecunditatem, quàm vituperandum iure merito censet, & Seraphico spiritu commendat Rodriq. *to. 1. qq. Reg. q. 2. a. 2.*

Condit. 9. Ut profitens nullam admittat conditionem substantiæ Religionis repugnantem, v. g. *si quis profiteatur sub conditione habendi proprium, vel non seruandi Castitatem, &c.* sine dubio irrita est professio, cum de ratione professionis sit abdicatio dominij & vsus independentis à Superiori, &c. Quod si profiteretur quis sub hac conditione reseruandi sibi aliqua quoad vsus & dependenter à voluntate Superioris, valeret talis professio saltem quantum est ex natura professionis, cum illa conditio non deroget eius substantiæ. Lezan. *to. 1. c. 2. n. 26.*

Condit. 10. Ut profitens non habeat aliquod impedimentum, quod in illa Religione sit essenziale. Nota. Cum omnis Religio habeat generalem potestatem condendi leges, vt colligitur *ex c. Singulis. de statu Monach.* quælibet etiam potest statuerè conditiones in receptione Nouitiorum, aliàs à jure communi non requisitas, modò jus eas expressè non prohibeat (tum enim specialis

specialis ad hoc requiretur facultas) quæ
 tamen vt professionem reddant inuali-
 dam, debet hoc sufficienter indicari. Vnde
 cum nostræ Constitutiones multas condi-
 tiones ad ingressum & professionem exi-
 gant, nullius tamen omisso professionem
 inuadat, exceptâ illâ, cum quis morbo Gal-
 lico, caduco, vel aliâ infirmitate contagiosa la-
 borans rogatus noluit eam manifestare, quia
 hinc tantummodò Constitutiones verbis ir-
 ritantibus vtuntur. P. Vecch. disp. 4. dub.
 2. & disp. 13. dub. 15. addens in fine; quod etsi
 ratione consuetudinis Prouinciales dispensent in
 alijs conditionibus à Constitutionibus requisitis
 quoad Nouitiorum receptionem, in hac tamen
 maximæ considerationis, minimè dispensare va-
 leant. Peyt. de subd. Regul. q. 1. c. 25. §. 5. ne-
 que ipsum Capitulum seu Prouinciale seu
 Generale in hoc dispensare posse docet ex c.
 si diligenti. de foro compet. Et Gl. in c. Ad Apo-
 stolicam. de Regul. V. Monaster. cum sit in præ-
 iudicium totius communitatis. Vnde tali-
 ter professus ab Ordine protinus expelli
 potest, sicut & si quis ob delicta grauissima
 ante Ordinis ingressum commissa infamis,
 id in professione dolosè reticuit. Nau. l. 3.
 de Regul. edit. ant. cons. 5. & 25. P. Polit. in
 Reg. c. 2. n. 28. Azor. l. 12. Insit. Mor. c. 16.
 q. 3. Et Ioan: Nouarius in Lucerna Regul.
 edita

edita Neapoli A. 1638. qui cum tit. Ejcere. n. s. retulisset Decretum Urbani 8. de Regularibus Apostat. & Eiectis, quo cauetur: vt in posterum e Religionibus nullus legitime professus eici possit, nisi sit vere incorrigibilis, &c. continuò subiungit: Eijci tamen, inquit, à Religione posse Religiosum in professionis tempore rogatum, si in seculo scandalosum patrauerit crimen, & negantem, si deinde apertè sciatur fuisse conuictum, vel diffamatum, grauisima & scandalosa commississe delicta patet ex Bulla Leonis 10. &c. Hanc Bullam in fauorem Ordinis FF. Minorum datam 15. Martij An. 1516. refert integrè ac scholijs illustrat Peyrinus probatus author in Const. 19. Leon. 10. editio- ne cum debitis approbationibus factâ An. 1648. cuius iste genuinus textus est: Nos itaque vestram Religionem, que, Domino concedente, inter alias vberimos bonorum operum fructus exhibere consuevit, in sua puritate manere ac tot murmurationibus & scandalis obuiare volentes, vobis, quod omnes & singulos ad vestram Religionem confugientes, etiam professos, qui grauisimis & scandalosis delictis notati & diffamati fuerunt, quæ fraudulenter & dolose in earum receptione seu professionis emissionè (monitione super his per vos præmissâ) tacuerunt, non obstante, quod iam per vos recepti & professiones per eos emissa fuerunt, ne morbida

Et infecta pecus ouile Domini corrumpat, alijs
 que cedat in exemplum, à domibus & Conuen-
 tibus vestris, prout conscientie vestre, quam su-
 per hoc oneramus, visum fuerit & iustum & bo-
 nestum fore decreueritis, expellere & remouere
 liberè & licitè possitis & valeatis, auctoritate
 Apostolica, tenore presentium licentiam & fa-
 cultatem concedimus pariterq; indulgemus, &c.
 Eandem refert Rodriq. t. 3. q. 17. a. 9. quem
 nouissimè sequitur Steinius in sum. juris Ca-
 non. p. 1. tit. 15. §. 4. n. 6.

Porro concursum ad hæc D. Episcopi
 non requiri docet idem Nouar. cit. V. Pro-
 fessio. n. 35. Hæc enim solennitas, vt ibi loqui-
 tur, non est necessaria, quoties Superior regula-
 ris aliquâ subsistente legitimâ causâ vellet suum
 subditum eijcere, quia tunc poterit solus id age-
 re, nec requiritur interuentus Episcopi loci Or-
 dinarij, quia Concilium dat solum hanc formâ,
 vt interueniat Ordinarius coniunctim cum Su-
 periore regulari, quando subditus excipit de
 nullitate professionis, at secus quando Superior
 vellet eum eijcere in casibus à jure concessis, non
 debet enim extendi conciliaris dispositio de casu
 ad casum, sed in suo proprio tantum habere de-
 bet locum, & proinde ita percipit (fortè præ-
 cipit aut præcepit) Illustriss. Episc. Ricc. in
 praxi for. Eccles. resol. 20. part. 2. quatenus
 fundat causas nullitatis professionis ita propo-
 nendas

hendas copulariue coram Superiore & Ordinario, vt si Superior per se solum professionem nullam declaret, & religiosum dimittat, illum tenetur ad Monasterium reuocare; nam id intelligitur, quoties professus dicat de nullitate, &c.

Condit. 11. Vt profitens sit mentis capax. Habentes enim talem defectum siue per dementiam, siue aliud simile, carent libertate requisita ad Religionem. Lezan. V. Professio. n. 17.

Condit. 12. Vt sit sui juris, alteri non adstrictus. Cum licentia tamen sui domini valide profitebitur. Si seruus ingrediatur Religionem & à domino id sciente, intra triennium non reperatur, non potest transacto triennio ab ipso repeti. c. Si quis incognitus. 17. q. 2. Vnde professio ipsius valida erit transacto illo triennio, non antea. Lezan. 10. t. 6. 2. n. 21. Ad hunc libertatis defectum redicitur etiam ligamen Matrimonij, etenim qui matrimonium consumarunt, nequeunt valide Religionem profiteri, nisi de consensu coniugis, prout speciatim etiam cauetur in Regula nostra. c. 2. de quo vid. V. Nouitius. n. 314.

424. Ad substantiam & valorem professionis, licet neq; Scriptura necessaria sit, neque presentia testium, vel etiam quod fiat in Monasterio aut Ecclesia; Nostræ tamen

CCCC
XXIV
Solenni:
tas.

Sf 2

men

men Constitutiones inharendo Constitutioni Clem. 8. pro reform. Regul. statuunt, vt vniuscuiusque professio ab ipsomet proficiente, propriâ manu, siquidem scribere sciat, cum sua ætate scribatur, vel ab alio scribi curetur cum testibus inibi præsentibus, & diligenter in loco clauso custodiatur, vt si opus fuerit, in promptu habeatur. Atque vt eadem pariter à P. Prouinciali in particulari registretur libello, quem singuli Prouinciales Ministri pro Registro Professionum habendum curent,

CCCC-
XXV.

Effectus
generales.

425. Professio valida plurimos habet effectus & priuilegia tum ex se generatim spectata, tum ratione votorum specialium. Inprimis quod per illam professus omnium peccatorum suorum antea commissorum condonationem, quoad omnem pœnam temporalem pro illis in Purgatorio debitâ obtineat. Ita enim habet ferè communis SS. Patrum, antiquorum Monachorum & Scholasticorû, quasi per traditionem consentus, quodd & nostræ Constitutiones innuunt c. 2. referentes in margine S. Hieron. ep. 25. de obitu Blasilla c. 2. vbi professionem Monasticam vocat *Secundum Baptistam*. Huius rationem tradit S. Bernard, qui lib. de præcep. & dispens. c. 23. audire, inquit, & hoc vultis à me, vnde inter cetera Pœnitentiis

nitentia instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prerogatiuam, vt secundum Baptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abnegationem. Quomodo enim, ait postea, in Baptismo eruumur de potestate tenebrarum & in regnum transferimur charitatis aeternae: ita & in sancti huius secunda quadam generatione propositi, de tenebris aquae non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus, &c. Si nimirum professio, sicut oportet, in bono statu & propter Deum emittatur, quam ob rem Constitutiones i. e. statuunt, vt ante professionem se magnâ cum diligentia, cum pura confessione, deuotâ comunione, ac feruenti oratione, factâ prius generali in Religionis ingressu confessione, praeparent, vt sic novum induant hominem. D. Bernardin. & Dionysius Carthus. relati à P. Vecch. *disst. 13. dub. 5.* volunt eandem condonationem plenissimam consequi, quotiescunque de professione laetitiam habent, eamque renouant. Quod etsi ipse Vecch. & alij minus probent, non displicet tamen Basæo, qui *to. 1. V. Religio 4. n. 8. vers. Ex qua.* pro hac opinione citat insuper Peyr. Sa, Laym. & Vilalob. quibus adde Aluifet de Priuil. Reg. *f. 2. c. 2. n. 11. cum P. Hiac. Casal. & Fum. Adiungit insuper, quod, qui professionem emittit*

fit cum conscientia peccati mortalis, licet
 tum plenariam remissionem nõ consequa-
 tur propter peccatum mortale, tamen si po-
 stea resipiscat, obice remoto, illam acqui-
 rat. Quod ego Theologis discutiendum
 relinquo, qui super hoc disputant cum D.
 Thom. 2. 2. q. vlt. Idem diligenter expen-
 dit Sanch. l. 5. Moral. c. 5. Cæterum quod
 Paul. 5. plenariam Indulgentiam concessit
 tum illis, qui animo profitendi habitum
 Religionis à legitimo Superiore suscipiunt,
 tum his qui expleto probationis anno pro-
 fessionem emittunt. Dicitur est *V. Indul-*
gentia. n. 220.

2. Per professionem etiam votorum Re-
 ligionis omnia vota prius facta comutan-
 tur in illã tam realia quàm personalia, eti-
 amsi de his profitens intentionem non ha-
 buerit. Extinguuntur item iuramenta de
 rebus pijs ad Deum solum facta. Sanch.
cit n. 36. & seqq. Lezan. to. 1. c. 3. n. 7. Bass.
vbi sup. extendit etiam ad votum ingredi-
 endi Religionem strictiorem. Vtrum iura-
 mentum homini præstitum & ab eo accep-
 tatum comutetur similiter in professionem
 Religionis. Vide *V. Iuramentum. n. 274.*

3. Vtrum & qualis Irregularitas per
 professionem tollatur, dicitur est *V. Irregu-*
laritas. n. 251.

Alias

Alias Professionis Prærogativas, & Privilegia exemptionis aliæque quamplurima videre est apud Sanch. l. c. Lezan. & passim in hac Summula.

426. Effectus speciales Professionis sūt

CCCC-
XXVII
Speciales.

1. Ratione voti Obedientiæ, transfert Religiosum in ius & potestatem Ordinis & Superiorum, faciens membrum illius ita, vt Superiores possint illum, si discesserit, apprehendere suâ autoritate tanquàm rem suam, & reducere ac punire. c. *Quod votum.*
De voto. in 6.

2. Ratione voti Castitatis ex vi Constitutionis Ecclesiæ, facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, ita vt si tentet contrahere, sit irritum. Item matrimoniû ratum nondum consummatum antea contractum dissolvit. Conc. Trid. sess. 24. can. 6. & 9.

3. Ratione voti Paupertatis professio priuat omni dominio honorum mobilium & immobilium, & reddit incapacem ad illud. Priuat etiam potestate vtendi rebus suo iure, seu absque dependentia à voluntate Superioris. c. *Scriptura.* *De voto.*

427. Tandem nota, quod in Trident. sess. 25 c. 19. de Regul. definitur, quod qui pretendit per vim & metum &c. fuisse Religionem ingressum, non debeat audiri, nisi tantum

CCCC-
XXVII
Reclama.
110.

Sl 4

intra

intrà quinquennium à die professionis expressa
vel tacite, & tunc debeat suas actiones, habitu
regulari retēto, proponere corā Superiore suo &
Ordinario. Huius intelligentiam videtis vnā
cum requisitorum declaratione apud Peyr.
de Prelato. q. 3. c. 1. §. 5. Lezan. V. Professio
Regularis, n. 20. Chaffain, Cotonium.

Plura V. Nouitius.

PROVINCIALIS.

428. *Prouincialium potestas.* 429. *Illius
limitatio.*

430. *Prouincialium decedentium substitutio.*

CCCC.
XXVIII.

*Prouinci-
alsum po-
testas.*

428. **E**Adem ratione quā Regula Mino-
rit. c. 8. P. Generali totius frater-
nitatis, sic & Prouinciali iuxta dicta V. Ele-
ctio. canonicè electo, totius Prouincie vt
Ministro & seruo aliorum fratrum, Regi-
men committitur. Vndè plenissimam quo-
que auctoritatem & potestatem, ad exe-
quendum suum munus & officium, ac om-
nind eandem in suis Prouincijs habent om-
nes, quā potitur Minister Generalis in toto
Ordine, in quibus non sunt specialiter pro-
hibiti, prout de facto Constitutiones nostræ
Generales, potestatem Prouincialibus re-
strinxerunt in sequentibus.

429. *Pri-*